

remedia contra divitias statuo. nam perinde omnes res
 laudantur atque adpetuntur, ut earum rerum usus est.
 1 malitia praemiis exercetur: ubi ea dempseris, nemo
 4 omnium grātuitō malus est. ceterum avaritia bēlua fēra
 5 inmanis intoleranda est: quo intendit, oppida agros fana
 atque demos vastat, divina cum humanis permiscet,
 neque exercitus neque moenia obstant, quominus vi
 sua penetret; fama pudicitia liberis patria atque paren-
 5 tibus cunctos mortalis spoliat. verum, si pecuniae decus
 10 ademeris, magna illa vis avaritiae facile bonis moribus
 6 vincetur. atque haec ita sese habere tametsi omnes
 aequi atque iniqui memorant, tamen tibi cum factione
 nobilitatis haut mediocriter certandum est. quois si
 7 dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. nam ii, si
 15 virtute satis valerent, magis aemuli bonorum quam in-
 vidi essent. quia desidia et inertia, stupor eos atque
 torpedo invasit, strepunt obtrectant, alienam famam
 bonam suam dedecus aestumant.

1 9. Sed quid ego plura quasi de ignotis memorem?
 20 M. Bibuli fortitudo atque animi vis in consulatum eru-
 pit; hebes lingua, magis malus quam callidus ingenio.
 quid ille audeat, quoi consulatus, maximum imperium,
 2 maximo dedecori fuit? an L. Domiti magna vis est,
 quois nullum membrum a flagitio aut facinore vacat?
 25 lingua vana manus cruentae pedes fugaces; quae ho-